UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitvlatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Petrvs De Lov Silvid. Lectori S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Visual Library

PETRVS DE LOV SILVID. LECTORI S. D.

NAtales hoſce Sanctorum Belgij iam pridem ab ipſo auctore, Indiculi nomine cum Vſuardi Martyrologio editos eſſe, ſcire te arbitror, beneuole lector. Verùm cùm multâ ſuâ diligentiâ auctiſsimum ille Martyrologium, & δευτέρας φροντίδας, Notas dico, verè σοφώτατας, tertiùm edere cogitaret; Indiculum etiam duplo amplius maiorem, atque adeo nouum iam opus, BELGICVM MARTYROLOGIVM confecerat. Quod cum ceteris Martyrologijs, Græcorum, Hebræorum, Syrorum, Bedæ, Adonis, VVandelberti, Aquileienſi in lucem mox erat proferendum. Sed paratis ad eam rem omnibus, Romanum Gregorij XIII. ſuperueniens, conſilium editionis ſuſtulit: dum illud, accommodatis ei notis & acceſsionibus, primo cum ceteris, vti dicebat, loco exhiberet. Interea verò (nunquam enim hîc ille vacabat) & Belgicum, & cetera quoque multis notationibus capitibuſq; adiectis, reddiderat auctiora. Cùm paullo pòſt mors inexſpectata, magno Reip. Catholicæ damno, optimum virum ſuſtulit. Itaque Belgici huius operis pars magna in ſchedis remanſit. Ex quibus tamen non difficulter vnum aliquod ἀποτέλεσμα colligi poſſet, ſi quis omnes diligenter pervolueret; & notis, quibus pleraque ſua diſtinxerat auctor, cognitis, ſingulæ ad capita ſua referrentur. Hoc igitur dum ſaxum quantâ potui diligentiâ voluo, ſerius, & præterito demum die S. Hillonij vitam reperi: quam ſuo neglectam loco, hîc adijcimus. S. quoque Godehardus Hildesheimenſium præſul falsâ & tumultuariâ auctoris notâ ad XXV. Martij inſertus, in IV. Maij referendus eſt. D. Gualteri vita inter chartas auctoris inueniri non potuit: & Mechliniæ, vbi in ff. Minorum

niorum bibliothecâ exſtare ſolet, tumultu hoc Belgico periiſſe. Sunt & alia nonnulla, quæ ſi omnis auctoris labor ſupereſſet, vel auctiora, vel emendatiora exhiberemus. Quædam etiam ad quæ nonnulli facilè offendant, in indice Martyrologiorum interprete illuſtrantur. Hoc te lector ne neſcires volui: etiam atque etiam te per tuam humanitatem obteſtans, vt ſi quid habes, quod vel emendando, vel augendo Belgico huic Molani Martyrologio idoneum ſit: (neque enim fieri poteſt vt temporibus hiſce vnus omnia perquirat) in ſecundam eius editionem communi bono, & pro auctoris in te merito benignè communices: vt perfectum aliquando omni ex parte Martyrologiorum opus, quod viuens auctor mente conceperat, & pene perfecerat, magno Reip. bono poſsimus exhibere, Lector vale. Louanij VII. *a. d. eid. Ian.* ∞. IO. XCV.

CHRO-